

1461 sept 2, Abdij Echternach Luxemburg

Archief Abdij Echternach; 2-9-1461

Komt overeen met AKDOG inv nr 647 (regist 327)

Notaris Johannes Franck, van Echternach, priester, instrumenteert, dat Rolandt van Meer, kanunnik van Sint-Servaas te Maastricht, en mr. Johan in 't Wout, advocaat bij het Hof van Luik, als arbiters in het geschil tussen Johannes van den Velde, scheffener van de balije Biezen, enerzijds en Wilhelmus Lippen, procurator van de abt van Echternach, anderzijds over de novale tienden van Gemert, hebben bepaald dat, blijkens de overeenkomst door heer Theodericus de Betgenhuysen, landkommandeur van de balije Oudenbiezen, met de procurator van de abt van Echternach aangegaan, de abdij van Echternach van het rectoraat van de kerk van Gemert de novale tienden zou houden, maar 1/4 deel van alle novale tienden van Gemert jaarlijks op 2 februari aan de landkommandeur van Oudenbiezen of de kommandeur van Gemert zou worden betaald; dat bovendien de abt van Echternach jaarlijks 3 mud rogge uit zowel 1/4 deel van de novale tienden als uit 1/4 deel van de grote tienden van Gemert moet betalen op het huis van Gemert; dat verder de arbiters een regeling hebben getroffen voor de tienden van het nieuw in cultuur gebracht land in de heerlijkheid Gemert.

Publicatie: Wampach deel 10, nummer 126

Abschrift saec. XVI in der HS. 29, 22b, fol. 64, auf dem Staatsarchiv zu Luxemburg (B).

De tekst van Wampach is hier overgenomen.

In nomine Domini. Amen.

[1] Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate eiusdem Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, hora decima de mane vel circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini ii, divina providencia pape secundi anno quinto, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presentia personaliter constitutis venerabili et discretis viris domino Nicolao von der Dussen generali commendatore et provinciali ballivie de Junctis opidi Traiectensis, Leodiensis diocesis, ordinis Theutonicorum beate Marie Iherosolimitani ex una necnon Wilhelmo Lippen procuratore et eo nomine venerabilis domini Winandi Dei paciencia abbatis et conventus monasterii Epternacensis, ordinis sancti Benedicti, Treverensis diocesis, ex alia partibus prelibati dominus Nicolaus et Wilhelmus exposuerunt seu exponi fecerunt, qualiter alias orta esset dissensionis materia inter venerabiles et religiosos dominus dominum quondam Matthiam van der Straten, dum vixit, provincialem et commendatorem dicte ballivie de Junctis suumque conventum et prelibatum dominum Nicolaum von der Dussen tunc commendatorem domus de Ghemert dicte ballivie ex una necnon dominos abbatem monasterii Epternacensis, ordinis sancti Benedicti, Treverensis diocesis, suumve conventum partibus ex alia de et super decimis novalium decimagii ville de Ghemert, in quibus prefati domini abbas et conventus Epternacensis asseruerunt se habere ius recipiendi quartam partem decimarum dicti decimagii exceptis solum decimis novalium terrarum quas commendator et conventus domus de Ghemert propriis manibus suis sumptibus et laboribus infra villam de Ghemert excolerent seu excoluerunt, de quibus ius recipiendi quartam partem decimarum eis non competeret, prelibato domino provinciali et commendatore pro se et conventu prescripto asserente singulas decimas novalium dicti decimagii presentes et futuras de Ghemert ad balliviam, domum et conventum antedictos integraliter spectare.

[2] Quodque tandem in anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, indictione septima, die nono mensis Octobris, hora decima ante meridiem vel circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii divina providencia papa secundi anno secundo in ambitu ecclesie collegiate sancti Servacii Traiectensis in presentia mei notarii publici et domicelli Johannis de Cortenbach et Nicolai de Achel testium procuratores dictorum venerabilium dominorum videlicet dominus Johannes van dem Velde generalis procurator dicte ballivie vulgariter nuncupatus scheffener ab eodem quondam domino Mathia provinciali et Wilhelmo Lippen commorans in parrochia de Zeelst Leodiensis diocesis ab ipso reverendo patre domino Winando Dei paciencia abbate, Bernardo de Beffort decano, Johanne de Mecher custode, Conrado camerario ac ceteris fratribus conventualibus dicti monasterii Epternacensis ad compromittendum super huiusmodi differentiis specialiter constituti prout in mandatis procurationis subscripti eciam tenoris notorie constat, suorum utentes consiliis amicorum super huiusmodi differentiis cum suis incidentibus et connexis compromiserunt videlicet dominus Johannes van den Velde nomine quo supra in venerabilem dominum et magistrum Rolandum de Meer canonicum ecclesie collegiate sancti Servacii Traiectensis, Wilhelmus vero Lippen ut procurator dominorum suorum nomine quo supra in venerabilem dominum et magistrum Johannem Intwont in venerabili curia Leodiensi advocatos, taliter quod quelibet partium haberet dare articulos de iure sibi competente infra certos terminos in compromisso expressos et super illis testes et munimenta producere coram notariis ut habet compromissum.

[3] In quo fuit etiam terminus ad pronuntiandum prefixus, promittentes sub pena amissionis querele et quadraginta florenorum Renensium sententiam arbitralem servare, prelibatis dominis et magistris arbitris et arbitratoribus onus compromissi et pronuntiandi in se assumptibus, sicque in ipsa compromissi causa dati fuerunt hincinde articuli et desuper exhibite responsiones et super negatis testes examinati et producti. Similiter et munimenta eciam producta fuerunt et post illa ipse venerabilis quondam dominus Mathias van der Straten ante pronunciationem sententie arbitralis, Altissimo disponente, diem sue vite clausit extremum.

[4] Qua de re, ne expense facte in ipsa causa compromissi remanerent inutiles, sepedictus dominus Nicolaus von der Dussen ad ipsius ballivie dignitatis apicem promotus effectusque generalis commendator et provincialis antedicte ballivie et cum eo dominus Johannes van den Veld ut generalis procurator, vulgariter nuncupatus scheffener dicte ballivie, pro se et nomine eiusdem ballivie, sub qua domus de Ghemert existit, ex una necnon Wilhelmus Lippen ut procurator et eo nomine prefatorum dominorum abbatis et conventus Epternacensis partibus ex altera, habentes ratum et gratum quod in ipsa causa compromissi per prius nomine ipsorum actum, factum et productum fuit, denuo et ex habundanti super differentiis pretactis compromiserunt in antedictos venerabiles dominos et magistros Rolandum de Meer et Johannem Intwont advocatos tamquam arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, dantes eis facultatem iuxta acta in causa compromissi prius habita aut alias ex bono et equo, habito tamen respectu ad acta sententiam arbitralem verbo vel in scriptis, stando vel sedendo et absque aliqua solemnitate desuper servanda pronuntiandi, promittentes eedem partes sive compromittentes sub pena amissionis querele et quingentorum florenorum Renensium tenere et observare totum et quicquid prelibati domini et magistri Rolandus et Johannes ordine prescripto pronuntiarent, dicerent, dictarent et declararent. Unde iidem domini et magistri Rolandus et Johannes in huiusmodi compromisso reiterato presentes protestati fuerunt sese antedicta acta compromissi prius sepius coniunctim et divisim visitasse et eorum noticiam habere ac collationibus actorum partium predictarum habitis ad pronuntiandum eorum sententiam habentes respectum ad acta ac alias ex bono et equo iuxta traditam eis normam esse concordantes sicque insequentibus facultatem antedictam accedente partium dictarum consensu per vive vocis organum antedicti magistri Rolandi finem compromisso imponentes pronunciarunt, dixerunt et declararunt prout sequitur:

[5] Primo quod ex quo in littera sigillata a domino quondam Theoderico de Bekkenhuszen dudum commendatore de Junctis per procuratorem abbatis et conventus Epternacensis in actis compromissi exhibita inter cetera continetur, quod abbas et conventus Epternacensis manebunt a rectoribus ecclesie de Ghemert liberi, quieti et pacifici in perceptione novalium hactenus nomine ipsorum perceptorum, ex actis tamen compromissi non constat, que fuissent talia novalia, sed constat ex actis provincialem seu commendatorem domus de Ghemert fuisse et esse in possessione novalium, idcirco ad decidendum hanc partem ut commoditas hincinde habeatur pronunciarunt dicti arbitri seu arbitratores, quod abbas et conventus prescripti per se seu suos procuratores seu decimatores percipient deinceps in antea quartam partem omnium novalium in Ghemert que usque datam presentium novalia fuerunt seu novalia reputantur et loco illius quarte partis novalium prescripti domini abbas et conventus singulis annis perpetuis futuris temporibus solvent, tradent et deliberabunt solvique, tradi et deliberari facient in festo Purificationis beate Marie Virginis domino pro tempore provinciali antedictae ballivie de Junctis aut commendatori pro tempore domus de Ghemert tam ex ipsa quarta parte novalium quam etiam ex quarta parte grosse decime dicti decimagii de Ghemert tres modios siliginis hereditarios pactus et mesure de Ghemert expensis ipsorum pro tempore abbatis et conventus deliberandas in pretacta domo conventus de Ghemert, pro quibus antedicta quarta pars tam grosse decime quam novalium erit et permanebit perpetue obligata et vpothecata.

[6] Item dixerunt secundo et declararunt, quod terre infra dominium seu parrochiam de Ghemert iacentes ad antedictam balliviam domumque seu conventum domus de Ghemert vel etiam ad communitatem infra dominium de Ghemert spectantes que nondum ad novam culturam essent redacte, si aliquae ex eis deinceps in antea ad novam culturam redigerentur prima vice expensis antedictae domus de Ghemert et ulterius illas terras domus ipsa conventualis de Ghemert sub sua cultura teneret vel teneri faceret per suos colonos et pactuarios annales eorundem colonum expensis de talibus terris prelibati abbas et conventus pro tempore Epternacenses quartam partem novalium per se vel suos decimatores nullo unquam tempore levabunt et percipient, sed illa novalia remanebunt in pleno iure et integraliter ad antedictam balliviam seu domum conventualem de Ghemert ?, singulis autem terris aliis modo simili non excoltis seu excolendis ad dictum domum non spectantibus predicti domini abbas et conventus quartam partem novalium sicuti in primo puncto declaratum est habebunt, levabunt et percipient et expensas litis compromissi ex causa compensarunt.

[7] Quam sententiam arbitralem pronunciatam dictumque seu laudum ac arbitramentum prelibati domini Nicolaus van der Dussen provincialis, Johannes von den Veld generalis procurator pro se et nomine totius conventus ac domus de Ghemert ex una et antedictus Wilhelmus Lippen procurator quo prius nomine dominorum abbatis et conventus Epternacensis ex altera partibus huiusmodi pronunciationi, laudo seu dicto interessentes laudarunt, ratificarunt, approbarunt et expresse homologarunt eaque omnia singula sic dicta et pronunciatam pro se ac nominibus quibus supra in presentia mei notarii testiumque infrascriptorum vice et nomine omnium et singulorum quorum interest stipulantis tenere et observare promiserunt, promittentes etiam eadem partes sive compromittentes premissa omnia et singula sigillis ballivie de Junctis necnon abbatis et conventus dicti monasterii Epternacensis autenticari debere, confirmari et roborari. Super quibus premissis antefate partes sive compromittentes sibi hincinde a me notario publico infrascripto fieri precierunt unum publicum instrumentum seu plura publica si opus fuerit instrumenta.

[8] Acta fuerunt hec in domo inhabitationis antefati magistri Rolandi de Meer sita infra emunitatem claustri ecclesie collegiate sancti Servacii Traiectensis sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu quibus supra, presentibus ibidem honorabili et discretis viris domino et magistro Mathia de Leenwis canonico et cantore ecclesie sancti Servacii antedictae, Marcellis Johannis eius clerico et familiari, Reynero Hoyn et Godefrido Daems testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Tenores autem instrumenti procurationis predicti Wilhelmi Lippen ac littere procurationis domini Johannis de Velde de quibus prefertur sequuntur et sunt tales:

[Es folgt der Text der Vollmachten von 1459, Juni 17, und 1459, September 15].

[9] Et ego Johannes Roefs alias Sweers de Blaenchem sancti Lamperti clericus Leodiensis diocesis sacra imperiali auctoritate publicus et venerabilis curie Leodiensis notarius iuratus quia compromissis per compromittentes prenominatos tarn primo quam denuo et ex habundanti initis supratactis ac sententie arbitralis per prefatos dominus arbitros late pronunciationi eiusdemque sententie arbitralis late ratificationi, approbationi et omol(o)gationi atque promissioni per partes seu compromittentes factis aliisque premissis dum modo et forma prenarratis coram predictis dominis arbitris et per eos fierent et agerentur una cum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, idcirco presens publicum instrumentum manu alterius, me aliis prepedito negociis, fideliter scriptum exinde confeci et in hanc publicam formam redegi, quod signo et nomine meis solitis et consuetis subscripsi et signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.